



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1658

§. 158. Et posuit super crucem. v. 19.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

significetur obscurum mansisset at cruci Domini affixus minime obscurum iudicium fecit cunctis qui legere possent, ad quem pertineret.

O Titulum triumphalem, regium & omnem magnificentiam præcellentem! & librum involutum scriptum intus & foris, nunc in cruce velut expansum in pulpito, toti mundo legibilem! lege, hauri, inebriare mysterium & anima mea: sic instar tituli huius cor meum tali typo conscriptum ad gratitudinem, ad imitationem, ad certæ salutis indicium. Immo lem phœbe quotidie in tanti beneficii memoriam, tinctoque hylosopi fasciculo in sanguine agni aspergam superliminare, & utrumque postem domus meæ: corpus & animam, ut vitam habeam & abundantius habeam, Amen.

§. 156. Erat autem scriptum: *Iesus Nazarenus Rex Iudeorum*. v. 19.

Iesus tanquam proprium nomen crucifigendi. *Nazarenus* propter patriam quia scilicet in Nazareth conceptus & nutritus fuerat, *Rex Iudeorum* quasi causam mortis ipsi inflicte & iustificationem Actorum Pilati, & consolationem Iudeorum, solatium Christianorum, exaltationem & gloriam Domini, nam quia Pilatus nullam causam mortis in eo invenire potuit, & tamen damnare debuit, impulsu Iudeorum, optime se purgavit apud Politicos & mundum hunc ita scribendo. Quia vi huius tituli, cuilibet rationem damnationis exposcenti, dicere poterat. *Rex* à populis creatur, & tollitur, cum ergo Iudæi Regem suum amplius nollent tolerare, ipsorum rogatu ipsum iustuli, & sic in iste egi, etsi ipse nihil aliud deliquerit. Quod ad solatium Christianorum, illud norunt, qui iuxta interpretationem Iudæi nominis consententur sincere Domino, isti norunt quantum habeant solatium in hoc titulo. Denique gloria Christo ex hoc titulo mira obvenit, quem usque modo dimittere noluit, sed à Iudæis exorsus, regnum ad omnes gentes propagavit, donec omnes ponantur sub scabello pedum suorum.

FE hæc tanta mysteria per tam vile instrumentum, quale Pilatus erat, Deus nobis aperuit, quod & ipsum ostendit mirabile Dei consilium. Sic enim Deus novit etiam impiorum consilia ad suam gloriam convertere. Legamus ergo & nos hunc titulum devota cum meditatione, illumque nostris imprimamus cordibus ut sit nobis scutum contra tentationes omnemque inimici potentiam, simulque sit decus & memoriale nostrum. Agnoscamus verè *Iesum*, hoc est verè salvatorem, orbisque totius redemptionē. Ideo enim in cruce pender, ideo sanguinem fundit, ut hanc salutem opereretur in medio terræ. Agnoscamus & *Nazarenam* hoc est floridum, or-

natum